

cinandum aptæ sint, quæ alteram uniuersalem negatiuam, alteram uniuersalem affirmatiuam habent, eo quod modo maior, modo minor quæ est uniuersalis negatiua, reciprocetur: quæ de causa fiat, ut in tertia quoque figura duas ratiocinabiles connexiones ex duabus uniuersalibus affirmatiuis esse non dicamus: cum in his etiam modo minor, modo maior possit reciprocari. An quia in secunda figura eo quod diuersiformes sunt propositiones cum ex alternatione uniuersalis negatiui reciprocantur modo maior, modo minor, necessario diuersum quicquam fit, & nõ in nostra potestate est, utram reciprocare uoluerimus. In tertia uero quando duæ sunt affirmatiuæ, non propositionum positio in causa est, ut aliàs altera reciprocetur: quippe cum similis hæc atque illa positio sit: sed in nobis id & nostra uoluntate situm est, non ex iugatione euenit. Idcirco licet simili modo utraq; reciprocari queant, quia tamen eadem positio propositionum est: ex ea tantum iugationis ad ratiocinandum aptitudo definitur, qua reciprocata fieri minus superuacanea demonstratio potest. Adde quod ratiocinationum differentie in unaquaque figura ex iugationum, non ex demonstrationum diuersitate existunt: quippe cum eadem connexio ratiocinandi uim habere demonstretur & ex reciprocatione, & ex deductione ad id quod fieri non potest, necnon etiam ex expositione: nec propterea tamen ratiocinationes plures sint, quia uidelicet una in qua diuersæ hæc demonstrationes fiunt, iugatio est. Quapropter si una iugatio est quæ ex duabus uniuersalibus affirmatiuis constat in tertia figura, una etiam ratiocinatio erit: licet demonstrationes eo quod aliàs alia propositio possit reciprocari diuersæ fuerint. Secunda ratiocinatio in hac figura igitur est, quæ ex maiore uniuersali negatiua, & minore uniuersali affirmatiua constituta particulare negatiuum colligit. nam hæc cum utraq; propositiones uniuersales habeat, affirmatiuas tamen utraq; non habet. atque hæc ex reciprocatione minoris colligere demonstratur. Tertia ex maiore uniuersali affirmatiua, & minore particulari affirmatiua particulare affirmatiuum colligit, quæ ex reciprocatione minoris etiam ipsa demonstratur. estque prior ordine quæ altera quæ ex similibus his propositionibus particulare affirmatiuum concludit: propterea quod hæc colligere quod propositum est, una reciprocatione ostenditur: quæ sequitur, in qua particularis affirmatiua maior est, & minor uniuersalis affirmatiua, duabus reciprocationibus ad demonstrationem sui indiget, & maioris uidelicet quæ particularis affirmatiua est, & conclusionis. Quinta est, quæ ex uniuersali negatiua maiore, & particulari affirmatiua minore particulare negatiuum colligit minore reciprocata. quæ post duas priores collocatur, quia licet etiam ipsa alteram particularem propositionem habeat, negatiuum tamen concludit. Sextum locum obtinet, quæ maiore negatiua particulari, & minore uniuersali affirmatiua constans negatiuum particulare colligit. atque hæc ex reciprocatione demonstrari minime potest, sed etiam ipsa deductionem ad id quod fieri nequit, requirit: non secus ac quarta ratiocinatio in secunda figura, quæ maiorem uniuersalem affirmatiuam, minorem particularem negatiuam habet. Vnde etiam quemadmodum illa ultima est in secunda figura, ita hæc ultimo loco constituitur. Atque ordo quidem ratiocinationum in hac figura hic est. non tamen eodem hic in tradendis ipsis usus est Aristoteles, sed paululum ipsum immutauit. Merito autem fit, ut quæ in secunda figura per reciprocationem demonstrantur ratiocinationes, maiore propositione reciprocata id consequantur. Nam in secunda ratiocinatione quæ maiore constat uniuersali affirmatiua, & minore uniuersali negatiua, cum ex reciprocatione negatiua conficiatur: atque idcirco in demonstratione eam quæ est minor, maiorem constituit: at: necesse nobis est ut conclusionem quoque reciprocemus, quo efficiamus ut qui in propositionibus maior est terminus, in conclusione predicetur. At in tertia figura minor est quæ reciprocatur. Quamuis etiam in hac in iugatione quæ maiore particulari affirmatiua constat, minore uniuersali affirmatiua, maior reciprocetur, quæ tamen in ratiocinatione minor efficitur. unde in hac quoque reciprocatione conclusionis nobis opus est, ut qui maior terminus ponitur, in conclusione prædicatione fungatur. quantum enim ad ratiocinationem spectat, quæ ex reciprocatione fit, minor efficitur. Merito autem ut dicebam, hoc fit: ex qua enim propositione reciprocata ex prima figura ortus utriusque ex reliquis figuris existit: eiusdem reciprocatione rursus fit, ut in primam figuram resolutionem ac reducatur. ex qua quidem resolutione esse ad ratiocinandum idoneæ demonstrantur.

*Medium autem in ipsa dico id de quo utraq; prædicantur: extrema uero ea ipsa quæ prædicantur, ac maius extremum, quod a medio est longius: minus, quod propius est. Medium porro ex*